


PALAESTRA LATINA



SUMMARIUM

Commercium Epistulare
(Avenarius - Jiménez)

Litterae Pii Papae XII

Undevicesima Centenaria Commemoratio

B. V. a Columna adparitionis
(López de Zubiría)

Columnam ducem habuimus
(Martija)

Moleae Subterraneae
(Viator)

De Varia linguae Latinae pronuntiatione
(Jiménez)

Varia
(Rozo, Loma)

Nova et Vetera: ludicra
(Jiménez)

De Maria Dominica Mazzarella
(Bellissima)

Aenigmata
(Palata)

Epheborum Exercitationes
Responsorium
(Sene)

Bibliographia
(Zubiría, Jiménez)

Mirifica Portenta
(Marcos)

Commercium Epistulare

Andreas Avenarius S. V. D. reverendo Patri Jiménez C. M. F. salutem.

Quodsi jam diu te taedet meae taciturnitatis, hoc sit solatio, quod me non minus jampridem taedet quam te. Cum vero pudore nuper legi memorialem de optimo Jovaeo fasciculum ad quem meam opellam exspectaveras; venerat autem nihil. Sic quaedam antiqua nimis mea sunt assumpta.

Sed revera parum fuit ad scribendum tempus, parum fuit animus; Romam accersitus ad munus insuetum totus fui in addiscendo opere meo; spes erat illo mense Augusto, qui vacabat opere, confecturum aliquid et in scribendo et in addiscenda italica lingua; sed non potui impeditus caloribus et ciniphe et vario officio. Nunc tandem vitae navicula rectum cursum tenere videtur; nunc etiam decrevi tibi mittere, quae accipiat PALAESTRA, et occurrit carmen Viatoris, cujus argumentum in folio adjecto lege. Propriis verbis fecit copiam vulgandi, neque quidquam magis videtur consentaneum esse, quam ut PALAESTRA habeat hanc prolem Viatoris. Tu ergo, si visum fuerit.

Certe P. Sarmiento per litteras narravit me Albani fuisse feria III paschatis et exspecto Sarmiento vicissim propediem in Collegium nostrum, ubi habito ego. Hoc quoque spero: Sarmiento brevi futurum esse fidelem adiutorem tibi in concinnanda PALAESTRA, qui etiam Jovaeum juvare consueverit antea. Habebis, partes qui facile ferat secundas, hominem deditum penitus Latinitati.

Utinam P. Martija, quem Deus sospitem volebat cum nos vivum combustum doleremus, adducere possis, ut casus suos caedis tempore exhaustos vel publice vel privatim narret. Si apud te est dic ei singulares salutes meo nomine. Vale. V. Kal. Oct. anni 1939.

Josephus Jiménez C. M. F. Andreas Avenario S. V. D. salutem.

S. V. B. E. E. Q. V.

Diu ad tuas suavissimas V Kal. Oct. Romae datas responsionem meam distuli. Nam Barcinone primum, deinde in hac Caesaraugustana urbe variis rebus distentus, aut defuit otium aut taedium adfuit.

Praeterea, postquam, placato Marte, iterum ad PALAESTRAM sum conversus, nescio qua morositate adfectus sim ac fastidio cum litteras Latinas pangere statui. Dives cogitatum vena exsiccari videtur, nihil ex digitis politum fluit, dactilographi tediculae Latinam consuetudinem repugnant utpote vernaculis variis modis magis adsuetae.

Tamen, nominali tuo adpropinquante, nequeo diutius taedio indulgere; ideoque has litteras, qualescumque sint, eas accipe, in primis ut Palaesticorum gratulationis testimonium necnon et votorum nostrorum, nempe, ut benedictionum gratiarumque donis caelitus cumuleris longamque vitam peragas tanti Patroni dignam.

Quod doles de exspectata opella in Jovaei desideratissimi memoriam, semper tibi apertae sunt PALAESTRAE LATINAE fores ut ex sententia quidquid lubeat proferas. Quod bonum, nunquam sero.

Per Sarmiento nostrum conscius factus fueram de novo et nobilissimo tuo munere in Urbe. Nonne Roma sicut antea ex Aquis Driburgensibus et ex oppido Tirschenreuth tuae in PALAESTRAM pervenient litterae scriptionesque?

Carmen Viatoris magna animi voluptate lectores propediem degustabunt.

Henricum carissimum ut casus suos narret adducere curabo. Ille ab incoepto scholari curriculo in Basbastrense Collegium, tot Claretianorum martyrum testem et preconem, discessit ibique musices partes simul et rhetoris agit.

Vale diemque nominalem apud tuos felicissimum transigas multos per annos. Caesaraugustae VIII Kal. Dec. an. MCMXXXIX.

PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 12 pes. in America et Philippinis insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, manuscripta autem ad Moderatorem

ADMINISTRATIO:

ZARAGOZA - España - Avenida Siglo XX, 37

DIRECTIO:

ALAGÓN (Zaragoza) España - MISIONEROS

Litterae Pii Papae XII

VENERABILI FRATRI

RIGOBERTO DOMENECH Y VALLS, Archiepiscopo Caesaraugustano

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater salutem et Apostolicam Benedictionem

Certiores abs te humaniter facti summus, pias peregrinationes ad templum Beatissimae Virginis Mariae de Columna quod in civitate ista Caesaraugustana exstat, proximo anno factum iri, ut sacra sollemnia et catholicorum congressus ibidem celebrentur. Redintegrata enim in Hispania diu exoptata pace animorumque concordia, jucunda spes affulget, ut in sanctuarium illud, in quo potentissima et clementissima caelorum Regina ab inmemorabili tempore singulari devotione a bonis Hispanis recolitur plurimi fideles sive singulatim, sive congregatim, accedant, Deiparae imploraturi praesidium vel de expertis beneficiis gratias acturi. Cum autem nos nihil potius habemus, quam ut, inter tot temporum discrimina atque aerumnas, miseri et afflicti filii solatium auxiliumque potentissimae et caelestis Matris clementissimae Virginis implorent atque consequantur, tuis votis optatisque paterne obsecundans, libenter concedimus, ut omnes Christi fideles, qui decursu anni proximi MCMXL, templum Beatissimae Virginis Mariae de Columna in civitate Caesaraugustana, rite confessi ac sacra Synaxi refecti, pie visitaverint, indulgentiam plenariam semel lucrari valeant. Horum quidem caelestium munerum praenuntia et conciliatrix, praecipuaeque caritatis Nostrae testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, cunctoque clero populoque tuae vigilantiae concredito amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIV mensis Maji, in festo B. Mariae Virginis sub titulo Auxilii Christianorum anno MCMXXXIX Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XII

Undevicesima Centenaria Commemoratio Beatissimae Virginis a Columna Caesaraugustae Adparitionis

Litteris aureis in Caesaraugustanae urbis totiusque Hispaniae annalibus annus millesimus nongentesimus quadragesimus est inscribendus.

Novemdecim lapsa sunt saecula ex quo Deipara, dum in humanis adhuc ageret, perantiquam Saldubam, quae Romanis Caesaraugusta fuit, convenit. Novemdecim saecula ex quo Sancto Jacobo ad Iberi litora oranti lacrimasque dulciter fundenti Angelorum Regina ac Mater pulcherrima seipsam «*corpore viventem*» conspiciendam praebeuit. Novemdecim transacta sunt saecula ex quo ad Hispanas adpulit oras Iberis gentibus beneficia inperitura atque benedictiones. Novemdecim saecula ex quo Columna Angelorum manibus Caesaraugustam adlata, illa fortunatissima nocte, manet in aeternumque manebit tanquam splendidum Dei Genetricis solium fideique Hispanae stabile fundamentum. *Elegi et sanctificavi locum istum praesentia mea, ut sit ibi nomen meum, et permaneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.* Quid dulcius simul et sublimius? Beatissima Virgo cum adhuc in terra ferebatur, Solymis relictis, Hispaniae esse voluit *incola* Caesarisque urbis *civis* praeclarissima. Caesaraugustam sibi constituit in sedem, ibique ad finem usque saeculi misericordiae Thronum pro Hispanis Hispanaque Subole constitutum habebit.

Pila e marmore scissa atque in alto siderum aedificata gratiarum obfert rivulos nunquam exhaustibiles. Illa Jacobo adparens ut sacellum extrueret eidem injunxit. Hispaniarum Apostolus, mariano raptus amore, aediculam erexit in ipsius Virginis laudem. Huic autem, volventibus annis, donationibus ab Hispanis conlatis, templum accessit auguste ac magnifice constructum, quod nunc Exmus. ac Rmus. Rigo-bertus Domenech, Caesaraugustanus Praesul, solindandum, amplificandum ornamdumque curavit.

Utriusque rei et undevicesimae centenariae commemorationis et templi reparationis exstat egregium testimonium: inscriptiones nempe in marmoreis caelatae lapidibus, quae ita se habent.

MAX · H · TEMPLVM
 INCVRIA · HOMINVM
 IBERIQ · INVRIA
 · PLEN · RVIN · MINITANS
 VNIV · HISPANIA
 ELEEMOS · LARGIENTE
 DIFICIL · TEMPEST ·
 D · D · RIG · DOMENECH · VALLS
 CAESARAVG · PRAESVL
 SOLID · AMPL · ORNANDVMQ ·
 ANN · MCMXXIX — MCMXXXIX
 DIL · CVR ·

CIVILI · BELLO
 PATRIA · LIBERATA
 FEL · PARTA · VICTORIA
 TOT · HISP · XPI FIDELES
 B · M · V · DE · COLVMNA
 VOT · EXAVD · GRAT · REFERENT ·
 FID · AMORE · PIA · PAENIT ·
 PEREGR · INVISVNT
 DVM · XIX · ADVENT · CVR · SAEC ·
 EXVLT · CELEBRANT
 ANN · MCMXXXIX — MCMXLI
 P · CH · NAT ·

Hoc templum, in eoque angelica columna, cui hominum milia milium cujuscumque ordinis sive aetatis, gratissimo corde, labra admoverunt, semper fuit *veritatis signifer et fundamentum*. Surrexerunt Hispaniae hostes, plures et potentes, Hispanicum nomen penitus delere cupientes, sed *portae inferi non praevaluerunt*. Ipsa, ipsa fuit, Hispaniarum regina, quae, dux potentissima, Hispanos exercitus ad tot tantasque viâtorias adpulit; ipsa, quae, provida gubernatrix, Hispanos nautas ad dissitas ignotasque terras perduxit.

Quid mirum, ergo, si a publicis et supremis Hispaniae moderatoribus, templum hoc *nationale totiusquae Hispaniae Subolis templum* constituitur?

Haud inmerito accidit Dei Providentia, omnia suaviter disponente, ut fortunatissima undevicesima commemoratio Anno Viâtoriae celebretur. Optime de Patria bellatores omnes — strenuissime decertantes — meriti sunt. Ne obliviscamur tamen Beatissimam Virginem, omnium gratiarum a Deo fluentium dispensatricem, vexilla nationalia ad tropaeum duxisse idque celeberrimum. «*Tu gloria Jerusalem, Tu laetitia Israël, Tu honorificentia populi nostri*».

Qui Basilicam frequentamus Caesaraugustanam festa pulcherrima non semel tantum contemplati sumus. Singulis diebus ex longioribus Hispaniae locis ad Martyrum urbem convolant gentes, beneficiorum memores, Virgini a Columna grates, cordibus laetitia perfusis, persoluturae.

Quid ergo contingeret Anno millesimo nongentesimo quadragesimo? Urbes atque populi vacuefient ut refugium Caesaraugustae, ad Aram Virginis, quaerant. Omnes Caesaraugustam venient Columnam ut deosculentur dilectionemque, quam fervidam, Matri atque Reginae ostendant. Venient Hispanae atque Americanae gentes, venient Lusitanae omnesque venient gentes quae longe lateque per orbem diffunduntur.

Unus idemque erit hymnus ore omnium concinendus: «*Laudanda per saecula sit hora qua Beatissima Virgo Caesaraugustam venit*».

MACARIUS LÓPEZ DE ZUBIRIA, C. M. F.

Alabonae, Kal. Jan. ann. 1940.

COLUMNAM DUCEM HABUIMUS

In XIX Centenario adparitionis B. M. Virginis de Columna

*Qui cupis hispanos fines lustrare, viator,
Si libet, ad fluvii litora siste pedem.
Ecce vides urbem egregiam quam rex fluviorum
Perluit undanti clarus Hiberus aqua.
Caesaris Augustam vocitat vetus incola Romae,
Virginis Augustae nunc quoque nomen habet.
Multa hic invenies prisci monumenta decoris:
Hic lucet patriae, hic Religionis honor.
Nonne vides altas turres, quae rite fatentur
Hispana in caelum tendere corda Deo?
Hanc urbem visit Jacobus Apostolus olim,
Hic et Evangelii semina prima dedit.
Fluminis ad litus, superum comitata cohorte,
Vitam dum terris Virgo beata tenet,
Jacobus adparet, solis circumdata luce:
Dulcisonum format caelica turba melos.
Hic et in Hispanos materni pignus amoris,
Non lapsura unquam, celsa Columna manet.
Ingredere in templum, Matris miraberis aedem,
In qua marmoreo promicat ipsa throno
Virginis excelso lapidi grata oscula fige,
Et Matri flexo poplite funde preces...*

*In patriam pergens, oculis miranda, viator,
Quae conspexisti civibus ipse refer.
Ferme bis decies saecularia festa recurrunt;
Attamen ut rupes stat vigor Hesperiae.
Jam novus Hispanis caelo demittitur ordo,
Ostendit nobis sacra Columna viam.
Prisca redit pietas, redeunt quoque gesta parentum:
Imperio est aequo foedere juncta fides,
Sub Genetrice Dei, gressus firmante Columna,
Hesperia ad Christum, vincere docta, redit.*

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Barbastri, Kal. Jan. Ann. MCMXL.

MOLEAE SUBTERRANAE

SCAENA TERTIA

Saturnius et Metranus

SATURNIUS Fulmen emissum est in capita nostra. Nunquam Probus orationem habuit tanta vehementia et acrimonia. Vox ejus clara inter altissimum patrum populique silentium resonabat. Accusationes fulminum instar graves ac vehementes jaculabatur in cultum, quem cives Romani per tot saecula diis praestitissent immortalibus. Multitudinem murmurando causae ejus interdum fuisse adparet. Theodosius, capite moto, quae explanarat orator, comprobabat. Ne unus quidem ex patribus nostris ad religionem majorum defendendam surgebat. Phui! Proh dolor! O indignum scelus ignaviae atque timiditatis!

METRANUS Nihilne Probus commemoravit filium raptum?

SATURNIUS Nihil, at in peroratione facies ejus expallescebat, media in voce haesitabat, defatigatus consedit in sedili. Neque dubito, quin illo temporis momento recordatus sit minarumstrarum.

METRANUS Et quae sequentur?

SATURNIUS Victoriae ara non erigetur neque vero sufficit hoc! A daemone quodam instigatus relationem tulit, ut omnes pecuniae publicae sacerdotibus idololatriis abrogarentur et noster deorum cultus vetaretur in perpetuum.

METRANUS Per deos inferos! Et senatus?

SATURNIUS Probavit. Nostra factio strepitu excitabat tumultum, at innumeri Christicolae victoriam undique clamabant et legiones ac praesidia in foro positi minitabantur gladiis dstrictis. Divis execrationibus in

aeternum Probus iste devoveatur! Hoc decretum columnis fori affixum constabit ei sanguine et lacrimis... Neque tamen hoc perficietur, (*Metrane*); tale discrimen repulsare conabor. Furiae inferorum suggerunt animo meo consilium rectum. (*angore vexatus*) Estne jam in hoc pistrino Caecilius?

METRANUS Nil comprehendo te (*baesitans ac dubius*). Lex nondum est promulgata.

SATURNIUS Dic mihi, ubi sit Caecilius!

METRANUS (*voce submissa*) Et quid facies?

SATURNIUS Volo eum videre, volo cum eo loqui.

METRANUS Curnam?

SATURNIUS Probus, quamquam surdus fuerit calamitati, quae ei ipsi accidit, resistere poterit minime, si filius ejus ipse pro nostra causa epistulam confecerit. Caecilio, si scribere non dubitaverit, spes erit fore ut liberaretur; Probus aut decretum promulgandum differre cogetur aut mea ipsius ruina abripietur in mortem. Qua ratione Saturnio, si casurus erit, saltem haec gloria remanebit, quod non corruiet inultus et tumulo obtegetur non solum meum corpus, sed etiam istius mihi infestissimi.

METRANUS (*tarde*) Cautus procede, cautus! Progredere longius! non meditaris; etiamsi decretum promulgatum non erit, tamen Caecilius libertate donatus tibi erit discrimini; nescio an aliquando te noscitet atque indicet.

SATURNIUS Hanc curam concede mihi soli; pater ejus taciturnitatem se observaturum mihi jurare cogetur neque ignoro, quam inviolabile jusjurandum sit Christianis. Quid? Caecilius erit in manibus nostris, quem minime reddemus, nisi...

A. EREM. VIATOR, S. V. D.

(Sequitur)

DE VARIA LINGVAE LATINAE PRONUNTIATIONE

Jiménez, C. M. J.

SCRIPTIO		PRONUNTIATIO CLASSICA		PRONUNTIATIO HISPANA		PRONUNTIATIO ITALA	
Vocales	<i>y</i>	hydra	u = u galla				
	<i>ae (æ)</i>	praelium	<i>ai</i>	<i>i</i>	hidra	<i>i</i>	hidra
	<i>oe (œ)</i>	poena	<i>oi</i>	<i>e</i>	prelium	<i>e</i>	prelium
Consonantes				<i>e</i>	pena	<i>e</i>	pena
<i>ce, ci</i>	cecini	<i>ke, ki</i>	<i>ke</i> ini	<i>ce, ci</i>	cecini	<i>dbe, dhi</i>	<i>dbe</i> dini
<i>ch</i>	chorus	<i>k</i>	korus	<i>k</i>	korus	<i>k</i>	korus
<i>ge, gi</i>	gigas	<i>g(u)e, g(u)i</i>	<i>g(u)</i> igas semper suav.	<i>ge, gi</i> ⁽¹⁾	gigas sem. fortis	<i>ge, gi</i> = g galla	gigas
<i>gn</i>	magnus	<i>gn</i>	magnus	<i>gn</i>	magnus	<i>n</i>	manus
<i>ngu + i, e</i>	sanguis	<i>ngu + i, e</i>	sanguis	<i>ng(u) + i, e</i>	sang(u)is	<i>ngu + i, e</i>	sanguis
<i>ngu + a, o, u</i>	lingua	<i>ngu + a, o, u</i>	lingua	<i>ngu + a, o, u</i>	lingua	<i>ngu + a, o, u</i>	lingua
<i>b initialis</i>	habeo	<i>i germana</i>	(j) abeo	non sonat	abeo	non sonat	abeo
<i>b media</i>	nihil	non sonat	niil	non sonat	niil	<i>k</i>	nihil
<i>i</i>	judex	<i>y</i>	yudex	<i>y</i>	yudex	<i>y</i>	yudex
<i>ll</i>	gallina	<i>l+l</i>	gal-lina	<i>l+l</i>	gal-lina	<i>l+l</i>	gal-lina
<i>ph</i>	phalanx	<i>f</i>	fal anx	<i>f</i>	fal anx	<i>f</i>	fal anx
<i>qui, que</i>	quisque	<i>qvi, qve = q germana</i>	qvisqve	<i>ki, ke</i>	kiske	<i>cui, eue</i>	cuisque
<i>qu + a, o, u</i>	aqua	<i>qv + a, o, u</i>	aqva	<i>cu + a, o, u</i> ⁽²⁾	acua	<i>cu + a, o, u</i>	acua
<i>rh</i>	rhetor	<i>r</i>	retor	<i>r</i>	retor	<i>r</i>	retor
<i>sci, sce</i>	descendit	<i>r</i>	deskendit	<i>sci, sce</i>	descendit	<i>sdb germana</i>	descendit
<i>ti + vocal</i>	ratio	<i>ski, ske</i>	ratio	<i>ci + vocale</i> ⁽³⁾	ratio	<i>ts + vocale</i>	ratio
<i>th</i>	theca	<i>t</i>	teca	<i>t</i>	teca	<i>t</i>	teca
<i>v</i>	vita	<i>v itala (f?)</i>	vita (dentilabialis)	<i>v</i>	bita (labial.)	<i>v, fere f</i>	vita
<i>z</i>	zelus	<i>ds</i>	dzelus	<i>c semper suavis</i>	celus	<i>ds</i>	dzelus

(1) Silaba *gue, gui* o *guae* a verhis in *quo* procedens pronuntiantur et apud Hispanos *gde, gdi, gd(a)b*, vgr.: *argdiis*, < *arguo*.
 (2) Silaba *quae* pronuntiamus *ene*, nequaquam *ke*, itaque *quae*so, dicimus *caeso* minime *ke*so.
 (3) *ti + (cum)* vocale si post litteras *x, s, t* occurrat ubique terrarum dicitur *t*, ideoque omnes dicunt *Sextius*, minime *Sextius*.

VARIA

Palaestrae Latinae Moderatori, salutem

Cum fungi incipiebas primi post Jovaeum moderatoris et restitutoris Palaestrae Latinae munere, gratissimas misisti litteras quibus in ea exornanda meis scriptis invitabar. Tibi aliquid facturum promiseram. Nonne promissorum oblitum credidisti? Et hercle sine injuria. Labuntur enim dies, Palaestra jam ter quaterve prodiit, varia quaedam adparuerunt quorum familiaritate utor et fraternitate, quos quidem satis nosti. Tusculi, Josephus; Albani, Raymundus et Carolus saepius urgent sollicitantque ut quamprimum Palaesticus efficiar. Me tamen interea silentium tenet; albae sunt chartae exarandae. Nunc vero en tibi labor, en voluntas mea, quae certo sunt nihilo meliora.

Quaerenti mihi jamdiu quid Palaestrae potissimum scriberem, quid consonum vocibus tot tantorumque Palaestritarum ludibus, non rem ullam, non argumentum, non aptum thema reperiēbam. Respiciens vero coetus epheborum qui aut nocturna manu aut diurna libros pervolunt classicos, utilissimum duxi quaedam ipsis referre quorum ope auctorum sensus sint illis intellectu faciliores, omnia haec concinnare curabo simpliciore ac familiari dictione variis in epistulis, mihi corde conjunctissimo. Fabio Marcello Hispano, dandis. Vale

GULIELMUS ROZO, C. M. F.

Statutum est...

Petrus miles militari jam donatus libertate, domum revertitur. Dum militia meritis multa fecerat itinera, plura Hispaniae capita peragrarat atque plurima edoctus erat quae rustici ignorant. Venit dies Dominica.

—Visne, fili, ait mater ut Ecclesiam adeamus sacrum audituri?

—Homo barbatus —inquit filius—ego sum. Meam scientiam atque aetatem haec ceteraque ejusmodi dedecent.

—Jam tum cum Matritum, Barcinonem cet. Invisisti, ope divina non indiges?

—Quidem auxilia caelestia praestolor atque praestolabor. Ad quid autem petitiones meae? Fiet quod faciendum est, accidet quod jam statutum est, neque meis precibus rerum ordinem ego mutabo.

Piissima mater, lacrimis prae tristitia obortis, Ecclesiam incommittata profecta est. Deinde, sacris functionibus persolutis, domum revertitur. Hora duodecima meridiana accedit. Mensa ciba-

riorum vacua adparet. In fumario ignis non ardet.

—Nunquid hodie non edemus? ait filius.

—Quidem, fili, quidem.

—Ubi ergo cibi? Nonne omnia inparata sunt?

—Quae tu, fili, me prius docuisti fulgoribus micantibus meam inlustrarunt mentem. Ut quid defatigationes ad cibaria paranda? Ut quid labores cibos condiendi? Si statutum sit filium meum hodie lautissimo fruiturum convivio, certo certius illo fruatur. Si autem statutum sit hodie non manducaturum, cibis carebit, atque aequo animo illi ferendum est. Ad quid ergo ciborum paratio? Eveniet quod statutum est. Rustici quoque, fili mi, aliquando citissime lectiones ab aliis acceptas, memoriae mandamus.

Filius sermonem matris excepit.

—Stulte egi—ait—stultissime locutus sum. Nunc, mater, para prandium. Dominica sequenti libentissime te comitabor sacrum auditurus. —R. LOMA, C. M. F.

Nova et Vetera

I. — LUDICRA

Quae passim de ludis in *Candidato* et in *Palaestra* Jovaeus noster desideratissimus et Ildefonsus-González socius carissimus consperserant, ea mihi ordinata proponere placuit, additis proprio penu non nullis quae, ut latine ludamus, juvabunt.

Ajcdrez.—*Ludus latruncularum*: Ludi genus 32 latrunculis (*fiébas*) constans hac vero ratione dispositis: 2 reges, 2 reginae, 4 moriones, 4 equi, 4 ~~turres~~ et 16 pedites (*peón*).

Alfil.—*Morio*: latrunculus ludi superioris.

Aro.—*Arculus*: Orbiculus ludendo aptus.

Asalto.—*Ludus castellorum*: haud longe abest a ratione ludi calculorum (*damas*).

Balón.—*Follis*: genus pilae omnium maximum quae constat ex aluta vento inflata. Pediludium seu Folliludium (*fútbol*) in quo recte distinguimus metas (*goals*), poenas (*penalties*), recessus (*corners*).

Billar.—*Ludus tudicularis* (a verbo tundo, *golpear*). Eo luditur in quodam alveolo (*tablero*) mediantibus tudiculis (*tacos*) ligneis eburnisque globulis.

Bochas.—*Ludus globulorum*.

Boche.—*Scrobiculus*: parva fovea ludentibus instructa globulos aliaque id genus inmittendi gratia.

Bolos.—*Ludus bacillorum*.

Carambola.—*Conlisio*: in ludo tudiculari est percussio unius globuli cum aliis duobus.

Casa.—*Tessella*: quadrata quae sunt in alveo ludi calculorum, latruncularum...

Columpio.—*Oscillum*.

Croquet.—*Ludus malleorum*: Genus est ludi in quo malleolis ligneis tunduntur globuli per complures arculos ingerendi donec subito eorum novissimo bacillum tandem certo loco defixo contingatur.

Chito.—*Taxillus*: Est parvum tigillum cui monetae in ludo ejusdem nominis superinponuntur ut testis seu ferris a longe dejiciantur.

Dado.—*Tessera*: Cubus osseus vel ligneus punctis distinctus, quo in alveum jacto luditur.

Damas.—*Ludus calculorum*: Eo luditur in alveo 64 tessellis depicto, mediantibus 24 calculis.

Diábolo.—*Diabolus*: a Graeco διὰ trans et Βάλλω jacio. Crepundia in trochleae (*carrete*) modum quae in aërem celeri rotatione inmituntur.

Dominó.—*Ludus domini*.

Escaque.—*Tessella*: Unumquodque ex quadratis quibus nonnullorum ludorum alveus constat.

Ficha.—*Scrupulus* quo in ludis puncto notantur.

Foot-ball.—*Pediludium* seu *Folliludium*: Ludus quo pede follis jactatur.

Frontón.—*Sphaeristerium*: Paries pilae lusui destinatus ab Graeco σφαίριζω pila ludo.

Marro.—*Ludus velitaris*.

Naípe.—*Lusoria* (charta) quae certis in ludis adhibetur.

Oca.—*Ludus anseris*: Quidam puerorum ludus cui tessellae diversorum signorum insunt.

Pelota.—*Pila*: Sphaera seu globus quo pilam tundendo ac retundendo luditur.


Raqueta.—*Reticulum*: Areulus capulo instructus reti autem obductus ad pilam jaciendam.

Rompecabezas.—*Subverticulum*: Ludus quo variae figurae cum frustulis ligni vel metalli efformantur

Taba.—*Talus*: Os quasi cubicae figurae qui in ludo talario (*de la taba*) adhibetur.

Trompo.—*Turbo*: Crepundia in coni figura quae scutali (*zumbel*) seu flagello a pueris agitantur.

II. — VARIA LUDORUM GENERA



- | | | |
|------------------------|-----------------------|-----------------------|
| 1. Ludus latrunculorum | 10. Philarmonica | 19. Trochus |
| 2. » domini | 11. Sibilus | 20. Diabolus |
| 3. Bursa | 12. Manuballistula | 21. Reticulum |
| 4. Alea | 13. Zootropus | 22. Follis |
| 5. Rex | 14. Velocipedum | 23. Ludus castellorum |
| 6. Equus | 15. Staticulum | 24. Globuli |
| 7. Turris | 16. Crusma | 25. Mimus |
| 8. Pedes | 17. Ludus tudicularis | 26. Ludus calculorum |
| 9. Regina | 18. Tudicula | 27. Arculus |

III — LATINE LUDAMUS

Gymnicis ludis (*deportis*) corpus exercere oportet illius Juvenalis memores «*orandum est, ut sit mens sana in corpore sano*» (Juv. X 356).

Uti possumus pila more Britanorum (*tennis*), folle pedibus mittendo (*fútbol*), pila pugnīs aut tabellis mittenda (*pelota*).

Recte corpus exercebis scaphia complicabili (*barca de remos*), equorum certaminibus (*carrera de caballos*), sive birotarum (*carrera ciclista*).

Placet quoque malleorum ludus (*croquet*), scrobiculorum ludus (*juego de los hoyos*), ludus velitaris (*marro*), talorum ludus (*las tabas*) sive acicularum (*las agujas*).

Apud Graecos celeberrima fuerunt Olympia (*juegos olímpicos*) ante annum 776 a. Chr. n. instituta, anno p. Chr. n. 394 abolita, anno autem 1896 a De Coubertin barone Gallico renovata.

Nunc vero quoddam civitatis jus apud nos ludus pugillatoribus (*boxeo*) adeptus est: qui simul cum folliludio (*fútbol*) maxime est in pretio. Quod si ferocissimum ludum dixeris, scias — haec est plurium gymnicorum (*deportista*) hodiernorum sententia — unumquodque eo plus valere quo fortiores ius adversarii mento immittit. Iis enim corporis robur id caput est.

Sed «hominis est, ait Democritus (II. 99, 187), animam potius colere quam corpus; corporis enim infirmitas compensatur animae virtutibus, corporis vero robore anima nihil fit melior.

Caesaraugustae, XV Kal. Januarii

JIMÉNEZ, C. M. F.

De Maria Dominica Mazzarella nuperrime in beatorum numero adscripta

Johannes Boscus et Maria Dominica Mazzarella quanta esset adolescentulorum venustas animis conceperunt; proptereaue alter in alterius vita operibusque inhaeret. At Mazzarellae recordatio cum Mariae Rosellae atque Franciscæ Xaveriæ Cabriniæ recordationibus bene mixta compositaque est, quandoquidem unaquæque ingenio puro eademque acri refulsit atque suae quæque regionis, ubi est nata, decus lumenque exstitit: videlicet Mazzarella Galliae Subalpinae, Rosella Ligurum Cabriniæque Galliae Cisalpinae, atque universae ante Dei praesentiam solis fulgentis instar lucebunt, hominumque generi quantae dignitatis comparandae facultatem mulieribus largitus sit Deus, plane manifestum reddunt.

Nunc de Maria Dominica Mazzarella, nuperrime in beatorum numero adscripta, breviter disserere juvabit. Considerantibus igitur rerum vices, per quas sanctitatis gradus caelestia praemia consecuta sit Mazzarella, tres praesertim occurrunt personae, videlicet Pestarinus sacerdos, Mazzarella ipsa, Boscusque, quorum operibus effectum est ut hic recens delibatus Salesianitatis flos, secretis natus in hortis, talia tantaque christianarum virtutum documenta praeberet.

Maria Dominica Mazzarella, anno MDCCCXXXVII humillimo loco in Subalpinis nata, primo duram agris colendis operam dedit in iisque adolescentiam transiit; neque quisquam putaret tantillam puellulam magnam alterius sodalitiî Salesiani fundatricem ejusque rei causa Bosci adseclam foederatam esse futuram. Anno autem MDCCCLX, cum typhico morbo, dum acriter pietatem exercet, laborasset, aliam vivendi, acus nempe tractandi rationem inire est coacta apud parvum obscurumque Filiarum Immaculatae Mariae Virginis sodalitiû, a Pestarino anno MDCCCLIV fundatum, ut puellae, rebus necessariis egenae, ad vitam ex Christi norma degendam educarentur. At facetiae contemptionsque in eam a nebulonibus et id genus homunculis conversae sunt; sed Mazzarella omnia negligere, minime turbari, animum, quo majora caritatis praeberet exempla, erigere, umbratili vita esse contenta et Virgini Mariae Auxiliatrici, quam Mornienses (Mornesia autem est Mazzarellae patria) venerabantur, se commendare. Interim Boscus vivendi normam memoratis filiabus Virginis Auxiliatricis largitus est. Res autem memoratu dignae contigerunt: Pestarinus enim cum Bosco anno MDCCCLXII congressus atque de pio sodalitiû filiarum Immaculatae erat locutus; ex altera parte Boscus ipse duobus annis ante Mazzarellam convenerat. Quarum rerum gratia nonne plane patet adminicula jam parata esse ut, si forte quid accidisset, nescio quid magnum insolitumque ad exitum perduceretur? Interea Boscus haec per somnum vidisse narrat. Cum Augustae Taurinorum forum, nomen a Victorio Emmanuele ducens, pedibus quondam percurreret, puellas conglobatas forte conspexit, alias modo huc, modo illuc circumsilientes, alias inter se rixantes, alias denique clamores profundentes. Quae «iol Boscol» illico conclamaverunt cum eum agnoverunt atque supplices ut sibi aliqua ratione succurreret exoraverunt. Cum is se rei agenda facultatem non habere respondisset, illae: «Tu puellarum —ajunt— derelictarum miserere». Cum autem bona eis dixisset verba easque ut Dei Providentiae confiderent hortatus esset, aliud puellarum agmen adpropinquavit atque «o bone, inquit, noli, quaeso, pati nos per urbis vias ac fora vagari atque malorum artibus obnoxias esse».

Dum haec fiunt ecce pulcherrima matrona, solis instar fulgens, accedit, atque «O Bosce, inquit, eas, sis, excipe; meae enim filiae sunt!» Hujusmodi visu perculsus Boscus ratusque Virginem Mariam tum matronam simulasse, cum salesianicum senatum consulisset atque ab eo jussus esset ut rem absolveret, cum Pestarini Mazzarellaque meminisset, ut Filiae Immaculae matrem moderatricemque summam deligerent statuit.

Nil mirum! Plenis sententiis Maria Dominica Mazzarella delecta est, atque nonis augustis anno MDCCCLXXXII, festo nempe Virginis Niveae redeunte, primum salesianarum sororum (quindecim fuerunt) agmen peculiari veste ab episcopo indutae sunt. Magnae saepe res ex parvis oriuntur: etenim quot nostra aetate numerantur! Sunt revera octo milia septingentae sex per Europam utramque Americam, Africam, Asiam diffusae, et quocumque Sancti Bosci animum mentemque tulerunt Ex hoc autem eventu memorando «*Filiae Mariae Auxiliatricis*» adpellatae sunt.

Longum quidem est enumerare quot quantaque et Summa Moderatrix et Filiae bona fecerunt: ingens ipse filiarum numerus tan brevi tempore constitutus, tanta puellarum turba excepta conlectaque atque ex Christi Evangelio educata ex inlecebrisque sublata, rem esse divina voluntate profectam manifesta claraque monumenta sunt.

Adde praeterea Mazzarella ipsius miraculata (quae brevitatis amore silentio praetereo) et laetabere quidem, o bone lector, Summum Pontificem Pium XI in caelestium numerum XII Kal. Dec. anno MCMXXXVIII conlocavisse mulierem, humillimo natam loco, quem tamen suis praeclaris virtutibus nobilitavit.

JOHANNES BAPTISTA BELLISSIMA
Prof. apud Universitatem Studiorum

Pisis (in Italia)

Jiménez Delgado, C. M. F.

PRIMER CURSO
DE
LENGUA LATINA

publicis mediae Institutionis quaestionibus
aptatum, apud Administratorem
Palaestrae Latinae, venit

pretio:
2'75 peset.

Aenigmata

1. Nomen idem teneo, sed bino munere fungor
Per freta trajicio res hominesque rate,
aut mihi cura datur vectigal poscere justum,
queislibet externis mercibus impositum.
2. Te vexo. Rumpo tibi somnos nocte tuamque
in rugas frontem cogere tristis amo.
Inseritur mihi vocalis? Venerabilis ordo,
solliciti coeunt in mea tecta patres.
3. Adversativam caute cape, candide lector,
particulam. Brevis est, vix monosyllabica.
Adde virum miserum, pullo vestitus amictu
qui causam coram iudice balbus agit.
Exorietur homo saevus, quem fabula narrat
fratri funestas adposuisse dapes.

Prof. FR. PALATA MORAVUS.
4. Qui me efficit, me non vult. Qui me emit, me non utitur. Qui me utitur, me
[non videt.
5. Beneficia in aqua atque in aere inscribi debent. Quae in aqua et quae in aere?

Solutiones aenigmatum numeri 58

1. Mustum, bustum.
2. Lamina, animal.
3. Stamen, stramen
4. Rhea.

Quisnam dissolvit? R. P. Hilarius a Puero Jesu, Carmelita Discalceatus, necnon
et R. P. Johannes Emm. Hernández, Sch. P. omnia aenigmata num. 58, calli-
de dissolverunt.

Epheborum exercitationes

Barbastrenses Alumni Alabonensibus Fratribus, S. P. D.

Carissimi fratres in C. O. M. Exultatione magna Cor nostrum adficitur dum has breves litteras, ut vobis salutem dicamus ex hac quieta sede, mittimus. Domus, quam colimus, scaenarum animum conmoventium testis fuit, quae nostrorum Martyrum inclitorum memoriam servat indelebilem. Illi pro Deo et nostra dilecta Congregatione liberaliter atque viriliter sanguinem fuderunt. Hic usquequaque pietatis virtutisque aura, Martyrum exemplis saturata, carpitur. Quam fortunati si hanc adsequimini domum!

Faxit Deus ut omnes vos istam sanctam domum colere valeatis et sic Martyrum mores aemulemini. Vobis quoque ob compositiones vestras litterarias quas PALAESTRAE LATINAE inseruistis, gratulamur. Omnia fausta vobis, carissimi fratres, atque vestris Magistris adprecamur. Valete.

Beatae Virginis praesidium.

Quadam die ad venationem proficiscens in silvam omnibus ornatam arboribus perveni. Ubi in supremos cujusdam arboris ramos ascendi, nescio quid mihi vi 141 sim videre. A me ipso quaerere coepi. Quid vides? Forsitam sit diabolus. Atque sub boae specie diabolus erat, Tunc pavoris plenus, sic illi adlocutus sum: «discede longissime; animum namque atque tuam indolem jam cognosco». Sed rabidus serpens magno stridore dentium respondit. Denique ego necessitate obstrictus, quam qui maxime, ridebam; sed parum abfuit ut flerem. Beatae Virginis auxilio confisus, ad casam proximam confugi, quo me serpens persecutus est. Ego vociferans dicebam: «Ingredere si potest, ad portas autem Virginem invenies». Serpens furiosus circumibat casam, neque qua intraret

sciebat. Tum Mariae imaginem accepi, exienasque per subterraneum, domum meam perveni omniaque, quae mihi evenerant, parentibus rettuli.

FIRMINUS ZUBIRI, C. M. P.

Postulantes Villae Rosarii fratribus suis Alabonensibus, P.S.D.⁽¹⁾

Vestrae germanae salutationi quam per redivivam Palaestram ad universos Congregationis Postulantes miseratis non possumus non quod ad nos attinet in nostro Commentariolo «Flos Campi» fraterno more respondere. Multum, fratres carissimi, gaudemus de insignis PALAESTRAE LATINAE novo in lucem adventu, quippe quae laudibus sit Congregationi dilectae et studiis Latinis fovendis plurimum inserviat. Simulque vobis ex corde gratulamur quod apud vestrates castra locaverit Palaestra. Aemulanda sane fortuna vestra; nam sicut arbores virgultaque magnopere vigent juxta rivos aquarum sata, sic vos prope istum Latinitatis fontem ad nos usque decurrentem, Palaestram, scilicet optimorum magistrorum opera et studio editam, non potestis quin doctam Romae linguam admodum diligatis et humanis artibus valde proficiatis.

Sicuti jam ante noveratis, vernaculum hoc habemus Commentarium «Flos Campi» quod palaestriculam nobis sese obfert, in quo edendo, conscribendo, et adumbrando haud parum insudamus sub Praeceptorum moderamine et tutela. Ex his, ergo, pagellis vestrae humanissimae invitationi ad vobiscum contendendum in Palaestra, liceat respondere. Si aliqua digna Praeceptores vestri in nostro humili commentario edita invenerint quae in Palaestra iterum edantur, pergratum nobis erit ea inter scriptiones vestras et aliorum Postulantium perlegere.

(1) Cfr. Pal. Lat. n. 54 pag. 9.

Valete, carissimi, et Matrem nostram Beatumque Patrem precibus lacessere non desistamus ut omnes nos aliquando Missionarii Claretiani nomine et virtutibus honoremur.

Inludens inlusus

In hospitio eventus accidit. Aliqui milites ordinem proficiscendi expectant. Quos inter quidam numeratur strenuus miles Pontificius. Dum tempus accedit hic Rosarium recitare incipit, de comitibus non curans. —«Salve, *Reverende* miles—ait comes insolens. Nonne in hippopera pileum portas atque stolam? Nonne Summus Pontifex faculta-

tem peccata remittendi tibi concessit? Visne me a peccatis absolvere?» Comites rident, sciunt enim illum sacerdotem non esse. Miles strenuus atque pius inlusionem cognoscens: —«Quod ad Sacramentum —ait— attinet facultates omnes, quas putas, non habeo. Tantum Confirmationis Sacramentum conferre queo, et hoc sine pileo ac stola» Quibus dictis alapam non levem ei infligit, dum comites cachinum tollunt Impudens atque petulans juvenis vento celerior abit demissis auribus.

CANDIDUS PALACIN, C. M. P.

Alabonae.

R e s p o n s o r i u m

In oppido Trebic. F. P. —Dolendum quidem est —et nos, quam qui maxime, dolemus— menda inrepere. At numquid omnia vitari possunt? «Quandoque bonus dormitat Homerus». In versu aenig num. 57 non mutabimus verbum «decorare» eo quod in tuo carmine non legebatur illud sed «decere» in prima usurpatum persona quod non invenimus apud auctores. Aenigma sic agebat: «Mollis lanugo *deceo* juvenilia labra». Paetulus, Conjugale et Voelalis pro Gaetulus, Conjugale et Vocalis quidem inrepere, nostra repugnante voluntate. Illa attamen non obstiterunt quominus lectores aenigmata optime solverint. Sed de his satis. Mittas, quaesumus, aenigmata quae in tuo scrinio servantur inedita. PALAESTRAE LATINAE lectores tui ingenii subtilitatibus detectantur. Ignosce, erudite Professor, et vale.

Burgis. J. F. —Quae de nostris studiis cognoscere desideras, mi Reverende, in PALAESTRA LATINA invenies, an. 1930-1931 pag. 95.

Siarii. S. S. —Libri, (saltem Epitome Historiae Graecae et Carmina selecta) quos expostulas, a nostris carissimis sociis atque clarissimis Professoribus, J. Jiménez atque H. Martija, compositi cito lucem videbunt nisi difficultates id prohibebunt.

Montullae. S. S. —Quae de divisione cursuum interrogas atque de auctoribus, quibus ad versionem utimur, scies ex PALAESTRA LATINA, an. 1930-1931 pag. 95. Tuorum alumnorum scriptiones magno studio expectamus PALAESTRAE inserendas.

SENEX

Bibliographia

R. Vicente Tena Mateo, Pbro. Cate-drático de Instituto. — *Un primer Curso de Latín*. 1939. Tip. de F. Meléndez. — Tarazona. 64 pag.

Opus quod inscribitur «Un primer Curso de Latín» laudes accipiet ab omnibus —et quidem merito— qui litterarum Latinarum studio vacare velint. Unum dumtaxat testimonium in medium adferamus atque praestans operis meritum ostendens. Delegatio ad Secundam Institutionem libros adprobans hoc protulit iudicium: «*Librum judicamus tamquam conatum laudabilissimum qui Romae linguam omnium Alumnis facilem atque delectabilem reddet. Methodo paedagogica atque operis typographica exhibitione inspectis, necnon et auris amorem patrium spirantibus cet... adserimus opus dotes possidere ad ipsius adprobationem ad triennium necessarias*». Quenam sunt ergo dotes quae in hoc opere effulgent? *Brevitas*: Et tamen vitatur vitium ab Horatio reprobatum «*brevis esse laboro, obscurus fio*». *Claritas*: Ad quam maxime inserviunt tabellae quae uno ictu oculis obferuntur. *Facilitas*: Thesauros in sermone Latino conclusos materna lingua alumnis patefacit. Ideoque vires juvenisque intelligentiam non superant. Egregius Instituti Professor puerorum mentibus hanc suasionem infundere conatur, Methodo, quam adhibet, facili atque exemplis haud intellectu difficilibus propositum certe consequitur auctor.

R. Vicente Tena Mateo, Pbro. Cate-drático de Instituto. — Textos para lectura y traducción. Segunda parte. 1939. — Talleres Gráficos «El Noticiero», Coso. 72, Zaragoza — 80 pág.

Haec secunda pars nequit a prima «Un primer Curso de Latín» sejungi, est namque complementum. Eandem ergo a Delegatione pro secunda Institu-

tione accepit adprobationem, easdemque meretur laudes quas huic operi ipsiusque auctori libentissime tribuimus. Exercitia ad versionem selecta sunt loci Evangelici, faciles, breves, et pulcerrimi. Quantam pueri ex eorum lectione capient dulcedinem! Sermonem Latinum laetitia discent. Quis ex pueris non delectabitur locorum versione «de Verbi Incarnatione, de Visitatione B. Virginis, de Cantico «Magnificat» B. M. Virginis, de Nativitate Johannis Baptistae... cet? Ambabus igitur manibus sapientem Magistrum plaudimus.

In fine cujusque Evangelici loci auctor unam aut plures obfert locutiones et axiomata Latina, spiritum christianum, patrium aut didacticum redolentia. Sunt quasi summa alicujus doctrinae grammaticalis. Exercitia perficiuntur vocum confectione quae versionem facillimam faciet Pro primo Latinitatis anno totis viribus opus commendamus.

M. ZUBIRIA, C. M. F.

V. Cresi. — *De re metrica et prosodica D. Magni Ausonii*. Utini ex officina Typ. cui I. D. E. A. nomen. An. 1938.

A clmo. Johanne Baptista Bellissima, cui auctor, grati animi ergo, in pignus dicaverat, ecce in actuaria venit hoc de versibus Ausonii opus. Nihil de Burdigalensi vita, nihil de ejusdem momento versorumque copia, nihil de Ausonii variis interpretibus, sed tantum de re metrica et prosodica duplici capite contracta: in primis de hexametris, postea de pentametris. Praefatiuncula praeit brevisque notarum explicatio.

In unoquoque capite primum de pedum vicissitudinibus et mutationibus, deinde de caesuris agit, de elisionibus et clausulis. Primas in opere numeris dedit. Omnia vel minima numerat auctor, itaque hexametrorum ex. gr. numerum tradit eorumque elisiones. In 1184 Ausonii hexametris habes 32·12 % he-

xametri elisiones, id est, 922 proprio nomine dictas, 171 apocopas, 91 aphaereses.

Cum de hexametris spondeazontibus sermonem instituit, notat hujusmodi versus qui frequentiores in Ausonii operibus occurrunt, praesertim illum mirum:

«Nodosas vestes animatumque Nerinorum» (Epist. XIV, 55), ubi dactylum in quinto et in quarto pede audacter neglexit.

Haec tantum prior Valentini Cresi operis pars; nam opus perfectum capiet quoque capita de senariis jambicis, de dimetris jambicis acatalectis, de ceteris metris Ausonianis, demum caput de re prosodica D. Ausonii. Dum lectores de altera parte certiores facimus, gratias donatori reddimus auctori que gratulamur.

J. M.^a JIMÉNEZ, C. M. F.

La figura e l'Opera di Orazio. Istituto di Studi Romani. — Editore, Roma 1939.

Inter opera quae «Istituto di Studi Romani», cujus est linguae Latinae studium promovere, edidit, opusculum numeratur «La figura e l'opera di Orazio». In hac opella octo continentur quaestiones. De unaquaque pauca. *Orazio e la Natura.* Natura plura poëtae obfert argumenta. Juxta scriptorem Venusinus hominem atque mundum spiritu aspicit philosophico (pag. 16). Sed non adseritur in articulo «Orazio e la Filosofia» poëtam philosophum non fuisse neque philosophiam habuisse? *Orazio e la Filosofia:* In Horatianis carminibus non inveniēmus philosophiam propriam, personalem neque alicui philosophicae scholae adhesionem. Horatius — dicit auctor — magnus Romanus atque maximus poëta fuit. Lugendum quidem est poëtae, conceptiones — quid in poësi praecipuum — eleganti sermoni — quid secundarium — non respondere. Poëta Venusinus noluit philosophicae scholae

nomen transmittere ne libertatem amitteret (pag. 21) seu verius Horatius adscriptionem systemati philosophico recusavit ne vitam inmoderatam derelinquere cogereetur. *Orazio nella Tradizione musicale Latina del Medio Evo:* Ex Horatii calamo carmina dulcisona fluunt Hujus elucubrationis auctor septem (aut octo) carmina invenit musicata, decem (aut duodecim) annotationibus (pag. 40). Documenta quidem pauca sunt, labor autem scriptoris maximus, ideoque laude dignus. *La Romanità di Orazio:* Inter Romanitatis signa quae auctor proponit atque poëtae tribuit reperientur: lingua, conceptiones, dignitatis sensus, libertatis amor atque patriae cet. (pag. 62). Postea vero ipse scriptor quasdam enumerat Romanitatis dotes, animum, nempe, bellicum, legislatricem indolem, gravitatem, religionem, pudicitiam atque virtutem quarum Horatius expers est. (pag. 64). Quibus positis poëtae Romanitas fere evētitur atque evanescit. *La Villa di Orazio nella Valle del Lucenza:* Imperator domum poëtae donavit. Ergo, quod ad eum attinet, hoc meritum, et parvum quidem, domus possidet, scilicet in illa Horatium vixisse. *L'Italia Antica nella Poesia d'Orazio:* Italianitas Horatii in pluribus carminibus fulget, licet ejus pater, filium, educatione Romae finita, Graeciam miserit ipsam completurum. Nonne et aliquando cum internis patriae hostibus, in conjuratione Bruti, amicitiam fecit? *Orazio nel Medio Evo:* Hujus articuli auctor de poësi tantum loquitur, atque in lucem adfert quaedam testimonia poëtica. Haec autem testimonia non totum Medium Aevum sed aliquam ipsius partem amplectuntur. *Orazio e la Giurisprudenza:* Horatius est jurisperitus? Ex hoc articulo eum aliquam de jure facere mentionem concludi potest. Haec est mea opinio de his elucubrationibus Nescio quid de ipsis sapientes judicent.

M. ZUBIRÍA, C. M. F.




in Latinum
translata a R.
P. Ludovico
MARCOS
C. M. F.
Villae Rosarii
in Argentina
litt. Lat
Professore.

F.


XXIV

Beneficiorum memor, valedixerat Titus abeunti naviculae Germanae quae prius sibi pavori, deinde incolumitati fuerat. Tandem optato litore sedet, late prospiciens caerulea ponti aequora in longum arata phaseli vestigio.




XXV

At, ubi terrarum? Nec scire licebat, nec sua magni referebat. Ergo per ardua montis corripere viam. Aspice laetabundum Melampum, venationis instinctu, adversam speluncam jam jam subeuntem.




XXVI

Quiescamus. In promptu tectum est! Pro mensa solum; pro lecto nuda sanctaque tellus erit. «Jamque famem explere oportet», ait Titus, luculenta cibaria sternens quae boni donaverant nautae. Quod valde adrisit Melampo,



XXVII

Utrumque, pransum atque potum facile somnus tenuit. Titus resupinus totis faucibus stertit. Melampus autem, velut secretorum comes, juxta accubat lautissime sopitus.





Apud

Palaestrae Latinae

Administratorem

Avenida Siglo XX, 37. - Teléfono, 4004

ZARAGOZA

Veneunt Palaestrae Latinae Conlectiones

quae e communistarum ruinis paucissimae
sunt ereptae, a primo fasciculo ad
quingagesimum quartum usque, pretio

50 pesetarum

Primer Curso de Lengua Latina

a R. P. Josepho Jiménez Delgado, C. M. F.
recens editum et publicis mediae
Institutionis quaestionibus aptatum, pretio

2'75 pesetarum

M O N I T U M

Socii, qui annorum 1939 et 1940 pretium subnotationis integrum
ante Kal. Martias solverint, exemplar unum hujus
Primi Linguae Latinae Cursus gratis accipient.

IMPRENTA F. CAMPS CALMET. — TELÉFONO 54. — TÁRREGA (LÉRIDA)